

cursu avertendo cogitabant : sed ne rem conficerent, propin-
 quorum montium cacumina obstitere. Interim vero, ne ad pu-
 gnam cogerentur, obsepire in fretum iter munitionibus tor-
 mentisque adnitebantur. At navibus Navarinum delatis, de-
 nuo de exponendo peditatu, atque eodem tempore de invaden-
 da classe ab ea parte, qua Divi Nicolai arx sita est, agitatum.
 Tum acrius, qui discessum Austriaco suadebant, urgere : *Nau-
 tici panis angustiam, quæ in dies magis magisque augetur,*
*obtendere; hostes peditatu, atque equitatu augeri; Græciæ Be-
 glierbegum cum viginti equitum millibus ad Metbonem subsidio*
*firmandam properare; nil ante ejus adventum ad exitum per-
 duci posse; eo vero accedente, inglorium abscedere, parum exi-
 stimationi consentaneum esse.* His mirum in modum Veneti im-
 peratoris animus excruciabatur : *Nihil tanto virium appara-
 tui, nihil Europæ Principum expectationi quod respondeat, a-
 ctum; tempus inutili cunctatione, disceptationibus, altercatio-
 nibusque insumptum : nunc, cum reliqua desierint, commea-
 tum inopiam causari; in arcto res non adeo esse, ut omnino*
discedendum foret, Navarinique tutissimus portus aquationi,
signationi, cunctisque classi exercituique necessariis opportunus
*desereretur : Metbonis oppugnandæ, invadendæque classis nu-
 per capta consilia mirifice ea loci opportunitate adjuvari; e Mes-
 sana navigia pane nautico onusta expectari : an vero liberum*
*turcicæ classi iter Byzantium relinquendum, ut vere novo ani-
 mis, viribusque audacior effectus hostis insurgat? cur suscepta*
*semel de prælio ineundo sententia immutaretur? an vani de Be-
 glierbego Græciæ rumores perterrefacerent, quem procul abesse*
*constaret? præsentī occasione utendum, ne partam superiori an-
 no virtute ac sanguine ingentem victoriam, nostris dissidiis,*
parumque coalescentibus animis corrumpamus. Tantum Fusca-
 reni oratio poterat, ut, reliquis imperatoribus in suam senten-
 tiam perductis, extructam machinam (licet parum adjumenti
 allatura existimaretur) Divi Nicolai arci admoveri jusserint;
 fauces ingressi commorantem ad litus turcicam classem ado-
 riri decreverint, quam vel a litore digressam, certamen, ex-
 plorata prope fœderatorum victoria inituram, vel metu de-
 trectantem perturbatam, propugnatoribusque in litus sese e-
 jicientibus vacuam, prædæ cessuram arbitrabantur.